





1775,36.  
DISSERTATIO  
DE  
EO, QVOD IVRE NATVRALI  
IVSTVM HABETVR, CIRCA  
AVTOCHYRIAM

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

S O C I O  
IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE XXVI. OCTOBR. ANNO MDCCCLXXV.  
D E F E N D E T  
A V C T O R  
IOANNES HENRICVS WEICKART  
LIPSIENSIS

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

DISSERTATIO  
DE  
LIBERTATE CIVILI  
AVTHORITATE  
D. CHRISTIANO HEINRICH BRUNNING  
IN AMPLISSIMO  
D. JOHANNES HENRICH WICKHART  
IN OFFICINA LITHOGRAPHICA





§. I.

Quaestio inter Dd. Iuris Naturalis enata est, quae et ad  
ciuilia iura facit, an homo proprio ex arbitrio, vbi  
iucunditatem vitalis aurae adspersatus fuerit, aut  
declinandis ingentibus miseriis, et anteuertendae ignominio-  
sae morti iamiam impendenti, sibi ipse fata properare queat?  
Huius quaestionis causa iam cum inter veteres, tum recen-  
tiores disputatum est: alii enim affirmando, alii negando pro-  
nunciant. Quoniam autem perquam grauis haec sit materia,  
exinde occasionem arripui, quae mihi in hac quaestione in men-  
tem venere, magis exercendi ingenii causa, quam doctrinae  
ostendendae, pro mei ingenii imbecillitate, proponendi:  
horrida enim esset arrogantia, quaestionem controuersam  
decidendi, de qua Summi Iuris Naturalis Doctores adhuc dif-  
ferunt. Tantummodo opiniones illas extantes, allegaturum,  
et quousque iustas se habeant, disquisiturum, nec non  
quid mihi videatur, additurum, constitui. Incidi quidem in  
libellum *III. WINCKLERI* nuper editum, longe praestanti-  
orem et ampliorem, sed oculis, cum haec scriberem, non-  
dum vsurpaueram.

§. II.

Vita nostra conseruanda est, quod quidem sanitatis cura  
obtinetur, sed insuper tamen a propria violentia abstinendum

## IV

dum est. Qui hoc officium negligunt, dicuntur *ἀνόχους* s. propricidae, i. e. qui vitam contra legis prohibitionem sibi ultro, directe vel indirecte, auferunt. Duo itaque requiruntur, nempe voluntas, quae suos, eosque insignes gradus habet, et legis prohibitio, quae, quoad factum voluntarium, tamdiu praesumitur, donec probetur exceptio. Ex quibus etiam apparet, duplicis generis exceptiones, ubi interemptio propria, in crimen non incidat, heic occurrere posse, si scilicet voluntas vel legis prohibitio deficiat. Ad primam classem pertinet caedes ab eo facta, qui alienatione mentis, vel perpetua vel temporaria, laborat, hanc excusandam esse perspicue liquet. Secundi generis exceptiones magis dubiae sunt. Autochiria ergo distingui potest in eam, quae voluntario fit, et eam quae ex necessitate peragitur, vel ubi voluntatis nulla vel est, vel esse debet determinatio. PUFENDORFIUS ille celeberrimus in *I. N. et G. L. II. c. 4. §. 17.* censet, licere eligere probabilem vitae brevioris occasionem, si, cum nemo sibi soli natus, aliis inferuendo se ipsum consumat vitaeque finem acceleret; quod autem mihi secus videtur, saltem non absque distinctione huic opinioni subscribendum putem.

## §. III.

Hanc in rem notissima est, PLATONIS in *Phaedone* sententia, ὡς ἐν τινι Φρεσὶ ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, καὶ εἰ δὲ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λείν εἰ δ' ἀποδιδάσκων; In custodia quadam versamur nos homines, nec decet quemquam ex hac seipsum solvere, nec aufugere. Hoc effusus expressit LACTANTIUS diu. *Instit. L. III. c. 18.* Sicut, ait, in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, eiusdem iussu recedendum est, qui nos in hoc corpus indu-

xit,

xit, tandiu habituros, donec iubeat emitti. Quae sententiae ab Ethnicorum iam philosophis prolatae, omnium laudem merentur. Quum enim sapientissimum ens hominem ad certos fines creasset, inque homine obligatio adsit, ne quid ageret, quo vel creatoris fines turbaret, vel impediret, absque vilo dubio sequitur, hominem, conseruationem suam propriam haud destruendi, esse obligatum.

## §. IV.

*Autochyriam* autem, iam ab antiquissimis temporibus haud incognitam fuisse, nos docet GROTIUS de *I. B. et P. L. II. c. 19. §. 5.* vbi commemorat ex Iosepho de bello Iudaeico, Hebraeos vnam causam de lege se non interficiendi accepisse, tanquam *εὐλογον ἐξαγωγὴν, si quis videat, se deinceps viturum in probrum ipsius Dei.* Nam quia non nobis, sed Deo in vitam nostram ius esse statuebant, existimabant, praesumptam Dei voluntatem solam esse, quae mortis anticipandae consilium absoluat. Referunt huc Saulis exemplum, qui gladio incubuit, ne a Dei suisque hostibus illuderetur. Sed maxime dubito, an hoc mortis genus fuerit licita autochyria? cum ille ex desperatione sibi manus inferret, non vero ob gloriam diuini nominis. cf. ZIEGLER ad *Grotium L. II. c. 18. §. 5.* Satis enim constat, Saulum melancholico, suspicace, timido et crudeli spiritu fuisse praeditum, imo a Deo reiectum, cuius voluntati haud paruerat. Iam vero certum est, nemini actionem quandam esse imputandam, antequam is auctor actionis alicuius moralis declarari possit, auctor autem determinationem voluntatis per intellectum requirat, patet, Saulum, cum ob melancholicum timidumue spiritum voluntatem suam per intellectum determinaret, sciens Deum, quem laeserat, sibi adiumento non futurum, minime com-

fisse autochyriam licitam. Patet verò ex ipsa diuini scriptoris relatione, vtique Saulum prius de morte inferenda alios sollicitasse, qui, cum nollet Regem interficere, causam dederè, vt in se manus conuerteret. Alterum exemplum a Samfone desumptum est, nam Samson se ipsum ruina domus simul cum hostibus populi Iudaici suppressit, sed vires eius tantae non erant, vt columnas istas et aedificium insistens profernere valeret, nisi ipse Deus stragem istam dederit, adeoque Samfone veluti instrumento, infirmo licet, et ex se minus sufficiente vsus sit. Et omnino videtur ad autochyriam de qua nos dicimus, quaeque improbata est, referri haud posse, cum in Samfone alia simul concurrant, quae ad alios referri haud possint, cum Messiam futurum in variis causis adumbravit.

## §. V.

Attamen apud Graecos causae quaedam, de lege se non interficiendi, exceptae fuisse videntur, vt extat apud PLATONEM de LL. L. IX. *ὅς ἂν ἑαυτὸν κτείνῃ, τὴν τῆς ἐμαρμένης βίᾳ ἀποσερῶν μοίρων, μίτε πόλεως ταξάσῃ δίκην, μίτε περιοδίνῳ ἀφύιτην προσπέσῃ τύχῃ ἀναγκασθεὶς, μηδὲ αἰσχύνῃς τῶς ἀπόρος καὶ ἀβίᾳ μεταλαχῶν, ἀργία δὲ καὶ ἀνανδρίας δειλία ἑαυτῶ δίκην ἀδικῶν ὀσπιθῆ.* Qui se ipsum vita et sorte fatorem vi priuauerit, non iudicio ciuitatis, nec tristi et ineuitabili fortunae casu coactus, nec pudore aliquo extremo compulsus; sed ignauia et formidolosi animi imbecillitate de se ipso iniuste statuerit. Quod illos, iudicio nempe ciuitatis coactos, siue vno verbo, delinquentes, atiner, neque inter *αὐτόχειρες* proprie censendos esse puto, neque pro vltronea actione habendum: deest enim libera eorum voluntatis dereterminatio, multo potius versantur in coacta voluntate, quae tamen nulla est. Sic apud nos  
damnati



damnati ad locum supplicii ambulant; aut quod, ut fertur, in Hispania licet dicat ad reum, sequere me, nec ligatus sit. Sic uti et olim in Lithuania memorant moris fuisse, ut damnati sibi crucem erigerent, et suis se manibus suspenderent. Haec omnia pro actionibus ipsorum reorum haberi nequeunt, iisdemque maiores molestiae, quae frustra reluctantes mensurae erant, declinantur. Ita etiam Socrates, cicutam bibens, non fuit *αὐτόχρησ* voluntarius, nec illi, quibus sub Nerone et Domitiano, extrema necessitas denunciata. *Euerh. otto in notio ad Pufend. de O. H. et C. L. l. c. 5. §. 9.*

## §. VI.

Illud autem absurdum puto, quendam inevitabili fortunae casu cogi, vel pudore aliquo extremo sibi ipsi manus inferendi posse compelli. Scire cuperem, quis ille aptus sit, cui manifestaret Deus, imminere ei inevitabilem fortunae casum. Sane homines non sunt, cum tam brevissima sit eorum cognitio, qui vix punctum ineffabilis diuinae omniscientiae capaces cognoscendi. Ita etiam neque pudor causam sese interficiendi praebere potest, vis enim huius vocis in idea tantum est comprehensa, quippe quam quisque sibi format, indeque multi id decorum censent, quod alii indecorum declarant.

## §. VII.

Etiam apud Romanos venia aliquando a principe vel Senatu impetrabatur, ut se interficere liceret: at secundum Ictos stoicos, iniunctae necessitati omnia subiici credentes, mori licebat, si vivere displiceret; modo id fieret ex causa, etiam leuissima, v. c. ob taedium vitae, aut valetudinis aduersae intemperantiam, nec rei publicae vel fisci commodum verteretur. *L. 38. §. fin. D. de poen. L. 3. §. 6. D. de bonis eor. L. 48. §. 2.*

## VIII

§. 2. *D. de Iure Fisci* verum isthaec in medio relinquimus. Illud autem manifestum est, eos, qui vel solo taedio molestiarum vitae humanae communium, vel indignatione malorum, quae humanae ipsos societati non erubescendos erant redditura, vel metu dolorum, quae fortiter toleratis exemplo suo prodesse aliis poterant, vitam ultro abrumpunt, nullam adferre posse sat validam defensionem, quominus in legem naturae peccasse sint censendi. PVFEND. de *O. H. et C. L. I. c. 5. §. 9. in fin.*

## §. VIII.

CICERO dicit, *L. 1. Tuscul. c. 30. Vetat dominans Ille in nobis Deus iniussu hinc nos suo demigrare.* Quid, quod liquet, hominem, qui voluntate sua facit, ne existat, iniuste agere contra rem publicam, cui vitam et spiritum suum simul debet: *inhoneste*, quia vitam non fugit, sed malum, quod eam comitatur, ac effeminata mollitiae, ideo se occidit, quod secundum affectus vitiosos vivere haud potest: *indecore*, dum aliis praebet scandalum, et ante tempus a statione sua discedit.

## §. IX.

Sunt demum inter recentiores Iuris Naturalis interpretes, qui autochyriam licitam praedicant, si propter vim illaram vel abneganda Christiana religio et veritas, vel ipsum sanctissimum numen blasphemandum. Et habet haec opinio multum veritatis, quippe quae DEO debemus officia, prima et summa sunt, cum DEO plura debemus, quam nobis ipsis, imo et aliis. Peccari dicunt in Deum, si abnegaret quis diuinas veritates, vel blasphemus esset, hinc rectius facturum, si, ubi vim auertere non posset, manus sibi inferret, quam ut veritates diuinae religionis abnegaret vel blasphemus et iniurius

rius in Deum esset. Sed haec me non mouent, vt licitam autochyriam pronunciem. Nam si coactio accedat, et religionis abnegatio et blasphematio non imputanda est coacto, qui tantum instrumentum est, sed cogenti, quod docuit *Consult. PRAESES in Delineat. Philosoph. Iusti Parte Gener. Cap. I. §. II.* Possit ergo quodammodo excusari, qui abnegaret religionem ex coactione, quippe non in verbis externis et professione quaerenda religio, sed in conuictione, quae coactione non est euerrenda. Videtur ergo magis simulatio abnegationis, quam vera abnegatio. Sed et tertium dari potest, quod a martyribus saepe obseruatum, qui mortem potius ab aliis expectarunt, quam quod sibi intulerint, quae ratio eo minus reprehendenda, cum ipse Deus religionis sanctissimae autor veritates suae religionis morte eorum, qui eam primum docebant, confirmandam censuit. Non vero repugno, si, distinguas *autochyriam in immediatam et mediatam*, sub *mediata* veroprehendas omnes actiones, ex quibus postea sine vi vitae suae illata mors sequitur, quod vi, si abnegationem religionis respuas, vel blasphemare *DEVM* detrectes, *mediata* foret *autochyria*, si a vim inferente postea occideris, his casibus *autochyriam* defendi posse. Sic omnes prope Apostoli, qui pro veritate religionis sanctissimi Saluatoris martyrium passi, *mediate autochyriam* commiserunt, at licite et ex *DEI* decreto.

## §. X.

Allegatis igitur his opinionibus, et refutatis quodammodo; dubium adhuc interim oritur. Quid, si homo versetur in extremo status collisui puncto? putarem in diiudicanda imputatione in foro diuino aequae ac humano rationem quoque collisionis esse habendam. Excitauit quidem *ZIEGLERVS ad Grotium* notatu illud dignissimum exemplum *L. II.*

B

L. I.

c. 7. §. 3. Cum scilicet septem Angli e naufragio per mare circumnauigantes in scapha summa inedia suppressi vnum e sociis macatum comedissent. At quoniam in illo mihi vnum atque alterum dubium occurrit, aliud substituam. Finge: septem personae in scapha submersura per mare circumnauigantes versari, sex ex illis, ne scapha submergat, septimum cogent, vt se ipse in mare praecipitet; is necessitate coactus, vitamque suam conseruandi, pactum cum illis hoc iniit, se ancipiti forti esse commissurum, et qui tunc sorte destinatus sit, ille ipse in mare se daret praecipitem. Iacta est alea, per quam ex illis vnus destinabatur; quo facto is statim in mare sese praecipitem dat. Queritur, an non hoc casu autochiria sit excusanda?

## §. XI.

In diiudicanda hac quaestione respiciendum esse arbitror, an ille *ἀντόχριστος* omnes eas obligationes, quibus homo moralis obligatus est, adimpleuerit, nec ne? Obligati autem sumus *primo*, ne destruamus conseruationem nostram propriam, et eo ille etiam tendebat, dum reliquas sex personas ad pactum illud ineundum, persuaderet, scilicet, se hac alea fortasse liberari posse. Accedit etiam, quod quaedam concurrat coactio, et vt §. 9. notauimus, coactas actiones, ob defectum liberae determinationis voluntaris, non imputari, hinc crederem, se satis hanc obligationem adimplendi, studuisse. *Secundo*, si obligationes, quas societati humanae debemus, perlustremus, etiam his satis fecisse, cenfeo. Videtur scilicet obligatus ad pactum illud inritum seruandum, cum eo non seruato, externam societatis pacem turbasset, et hinc sociis, non adimpleti pacti causa, ius competeret, bellum contra eum gerendi, et eo ipso occidendi, ac dein causa efficiens inritus

ritus sui, adeoque etiam *ἀυτόχρησ* censendus fuisset, quippe cum ipse fecisse censeatur, quod quis per alium facit, hoc est, qui causam ad actionem quandam committendam, praebet. Et cum denique unicuique obligatio incumbat, ut τὸ commune bonum promoueat, membraque societatis conferuentur; eum officio suo satisfecisse, eum unius interitu, sex societatis membra conferuentur. At et hoc casu, quamuis videatur excusari posse, satius fecerit, si vel non paciscatur, vel pactus, cum pacta conseruationi propriae contraria non obligent, autochyriam euitet neque se praecipitem det, sed potius vim expectet hostis a reliquis calamitatis sociis, quippe tunc defensionis vti potest iure, et hinc adhuc conseruandi semet ipsum spes est, quippe et forsitan alium in mare ex scapha praecipitem dare poterit.



PRAENOBILISSIMO RESPONDENTI

S. D. P.

P R A E S E S

**O**btulisti mihi libellum Tuum abs TE proprio studio elaboratum, legi eundemque ita comparatum deprehendi, ut ad specimen doctrinae primum exhibendum satis aptus videretur. Equidem incideram in doctissimum WINCKLERI libellum, qui ipsam hanc materiam et latius et ornatius et doctius exposuerat, et prope exhauserat; tamen nolui frustra laborasse TE, maxime qui sciebam, cum scriberes, ne vidisse quidem illam tractationem. Praelectam ergo, putavi iuvenilem laborem supprimendum non esse, potius, ut ad graviora TE conferres animum accendendum esse. Probavi itaque et cum voluptate summa comitem agam et defensorem thesuum TVARVM. Praeterea de eleganti doctrina, qua TE ornatum sentio, ex animo gratulor, simulque opto, ut digna diligentiae doctrinaeque feras praemia. Precor DEVM immortalentem, ut meis pondus votis addat. Qui si vero felix ex voto eris, rogo, ut eodem, quo me haecenus amplexus es amore perpetuo amplecti velis. Ego vero nunquam TE amare desinam. Et sic TV vale et vale feliciter. Scribebam Lipsiae d. xxvi. Octobr. c1o 1o cclxxv.

Leipzig, Diss., 1775 A17

ULB Halle

003 719 030

3




SB

AD 18









1775,36.

DISSERTATIO  
DE  
EO, QVOD IVRE NATVRALI  
IVSTVM HABETVR, CIRCA  
AVTOCHYRIAM

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO  
IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE XXVI. OCTOBR. ANNO MDCCCLXXV.  
DEFENDET  
AVCTOR  
IOANNES HENRICVS WEICKART  
LIPSIENSIS

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

